


# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



*[Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



PRÆCEPTA  
VITAE CHRIS-  
TIANAE.

VALENT. VVAGNERI CORON.

Vulgus nec Cœlum, nec Fama nomina curat,  
Verus in excelso pectore regnat honor.

CORONAE.  
M. D. LIII.

*[Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



PRÆCEPTA  
VITAE CHRIS-  
TIANÆ.

VALENT. VVAGNERI CORON.

Vulgus nec Cœlum, nec Famæ nomina curat,  
Verus in excelso pectore regnat honor.

CORONÆ.  
M. D. LIIII.





PRÆCEPTA  
VITÆ CRISTIANÆ.

ELEGIA PRIMA.

**S**e bene quisq̄; probet, primus potiorq̄; salutis,  
**E**t animi morbos non latuisse, gradus.  
**Q**ui noua mox fidæ submittit uulnera curæ,  
**A**uxiliatrici sæpe leuatur ope.  
**S**ed mala qui duro latitantia pectore cælat,  
**O**cculto uictus sæpe dolore perit.  
**T**u peccata tuo tacet recubantia corde,  
**D**etege, nec cæco pectore crimen alus.  
**N**eue in deterius serpent, maioraq̄; fiant,  
**C**onatu remoue damna futura pio.  
**E**xitio multos neglectior implicat error,  
**R**es grauis est, uicium cernere nolle suum.  
**D**at ueniam trepidis superum clementia lapsis,  
**V**iuisco lassos flamine Christus alit.  
**E**rgo oppresos, ac firmas robore uerbi,  
**P**ondere nec patitur succubuisse graui.  
**E**rgo age, qui uera fidei uirtute reuixti,  
**M**axima sit uitam degere cura nouam.  
**S**is pius, et sanctis æternum numen honora  
**M**oribus, & puro pectore quare Deum.





Nec cole præclaras saltim clamoribus artes,  
Officijs uirtus splendeat ipsa pijs.  
Altitonans iustas firmo moderamine leges  
Rororat, ac uerbò præsidet ipse suo.  
Pectoribus solidam recti mens conscia pacem  
Efficit, et placida membra quiete fouet.  
Dulcius in stipula securum carpere fomnum,  
Quam pauido auratos corde subire thoros.  
Nemo caret uicio, scelus est tamen omnibus æquæ  
Criminibus mentem prostituisse suam.  
Quæ iubet ipse Deus tractet tua lingua, pioque  
Exemplo ueram confitere fidem.  
Nec satis est iactare fidem, uir uirtibus illa  
Gaudet, amatq; piæ uiuida semper opus.  
Summus legis honor, legum est præscripta tenere,  
Legibus et mores instituisse bonis.  
Immensa à fati dependet machina mundi,  
Ab æternoq; manent subdita cuncta Deo.  
Res hominum celeri diuum sapientia uersat  
Turbine, nec firmo sors manet ulla gradu.  
Dum temulentæ ruit, dubio dum ludit honore,  
Inijcit ambigua spemq; metumq; manu.  
Deprimat, atque iterum, titulis quos uexit in altum,  
Implicat extremis mox uiolenta malis.  
Luceat in aduersis sinceri candor amici,  
Hic labor est mutuam non temerare fidem.

PURA

Pura fides hominum res est rarissima, Vera  
Maius amicitia nil uagus orbis habet.  
Istibi perpetuo, & multo sit nomine carus,  
Quem pia uirtutis curaque amorq; tenet.  
Felix, qui teneris artem condiscit ab annis,  
Doctrinæ solidas & sibi querit opes.  
Qui sua sic certa formauit pectora lege,  
Ut non fortunæ subdita colla gerat.  
Quisquis amat toto sacras conamine Musæ,  
Is merito Sophia nomen amanti habet.

## ELEGIA II.

Vt tua uita deo placeat, pius esto, Deiq;  
Totus ad exemplum teque animumq; rege.  
Moribus innocuis uiue, & tibi pectore teste  
Nitere nullius conscius esse mali.  
Sedula, quicquid agis, pulchri sit cura decori,  
Nullumque attenda præcipitanter opus.  
Corde graues curas, atque otia turpia pelle,  
Detineat sanctus uiuida membra labor.  
Ille autem pulchra tolerat ratione labores,  
Cui sine fruge aliqua non perit ulla dies,  
Virtutem exerce dum uirtus floret, & ætas  
Aptior est, animo sufficiente tuo.

A 3

Quædam



**Q**uemlibet excultis augeri, & crescere donis

Feruida in officio cura fidesq; facit.

**Q**uam brevis est ætas hominis? quã plena laborum?

Perpetuum totus quam nihil orbis habet?

**V**iuius incertum, nec quisquam præpetis ævis

Non esse dies, animo præmeditante, potest.

**T**urpibus occultè perit irreuocabilis ætas

Moribus, et sensim uita diesque fluunt.

**V**ictus auaritia secum omnia perpete cura

Versat, et argenti pallet amore miser.

**O**cia pauperies, luxum comitatur egestas,

Præbet inexhaustis sudor honestus opes.

**P**rouidus ætatis conuectat tempore uictum,

Sed stolidi moribus nil rationis habent.

**T**u tamen hic iusto medium conamine serua,

Optimus est medium posse tenere labor.

**N**ulla iuuat turpi congesta pecunia fraude,

Iustorum rebus Sorsque Deusq; fauet.

**O**mnipotens animum diat satiatq; piorum,

Misceet in explicitis impia lucra malis.

**R**espice non uires hominis formamue caducam,

Sed dotes animi iudiciumq; pij.

**E**st aliquid pulchro præcellere corpore multos,

Ast animus precium corpore maius habet.

**S**i uirtute alijs præstas, gaudeto modestè,

Nec quando in portu subruat unda ratem.

Lubrica

**L**ubrica fortunæ cautus pete munera, præceps

Vulgus in exhaustis implicat illa dolis.

**D**um fugis inuidiam et titulos, ita degere uitam

Cura sit, à doctis ne reproberè uiris.

**N**ec malè summa petas, nec spectes semper ad ima,

Tutior in medio sic tibi cursus erit.

**A**ures ac linguam certo moderamine frena,

Nec subibitis oculos uolue reuolue modis.

**Q**uicquid agis, sapienter agas, & semper ubiq;

Ab ternum præsto numen adesse scias.

**C**onsilio finem, & successus prospice, nunquam

Sic improuisis decipiere malis.

### ELEGIA III.

**P**eccata ut fugias, uigili noctisque diuque

Iudicij extremum respice mente diem,

**N**ullumq; obscænis unquam tere moribus a uuis

Traducas eclerem nec sine fruge diem.

**D**ulcibus insuda musis, ac sedulus esto,

Ad motuque simul facta precare manu.

**A**rdua perpetuo uirtus sudore coronas

Ambit, in expletuque astra labore petit.

**R**arus ad egregias natura peruenit artes,

Mollia sunt studijs corda fouenda bonis.

Brz



**E**rgo æge dum faciles animi, dum mobilis ætas,  
Chare puer musis pectora trade pijs.  
**N**oxiaque illorum fugito commertia, palam  
Quos constat magnis displicuisse uiris.  
**N**emo tibi ueræ dulcem pietatis amorem:  
Aut turbet sanctum religionis opus.  
**E**ximia est uirtus, cum rerum postulat usus,  
Infracto casus corde subire graues.  
**Q**uod fortuna iubet, tranquilla mente ferendū est,  
Hic labor egregij est officiumque uiri.  
**F**elix, qui potuit tumidum contempnere mundum,  
Et Sathanae blandis abstinuisse dolis.  
**D**elicias mense fugito, natura quod optat,  
Id stomacho tantum suppeditare decet.  
**F**ortis, qui carnis fallacia gaudia calcat,  
Et quicquid totus criminis orbis habet.  
**D**ebilitant animos, et corpora languida reddunt  
Morbi, sed mentem sæpe acuerè piam.  
**D**ic grates superis, cum te fors uersat acerba:  
Spes iustis magni certa medela mali est.  
**C**ontra fortunam muni tua pectora: multi  
Sub cruce præstantes occubuerè uiri.  
**L**onganimis mansueta Dei ne brachia culpes,  
Communes morbos gratia dia leuat.  
**C**oncipe sincero meditando pectore Christum,  
Et pura in superas lumina tolle domus.

N 86

**N**eue supercilijs laxes male tutus habenas,  
In præceptis oculis uertitur omne malum.  
**E**t linguam ratione regas, namq; egerit illa,  
Sæpe tibi latius quæ tacuisse foret.  
**R**es minor est fixam iactu contingere metam,  
Quam linguam innocuè composuisse suam.  
**D**iuorum insuda scriptis, hæc pectora formant,  
Nec quicquam incassum cor laborare sinunt.  
**S**i tibi forte subit turpis meditatio, famæ  
Gloria te reprimat iudiciumque Dei.  
**V**t paupertatis deuites tædia, discè  
Naturæ tantum uiuere posse tuæ.  
**Q**ui nullis opibus, perituroque indiget auro,  
Summè diuitijs adfluit ille suis.  
**S**ed qui sorte sua contentus uiuere nescit:  
Et si possideat plurima, pauper erit.  
**S**icut enim exiguum per se natura requirit,  
Sic nullum finem luxus auarus habet.

ELEGIA III.

**S**perne uoluptates carnis, ne corpora lædant,  
Aut animum turbent, inficiantque tuum.  
**L**ubrica declmes fugitura gaudia uitæ,  
Gaudia, quæ sanctum sæpe morantur opus.

B

Maxi



**M**axima pars hominum: uentri dum seruit auaros  
Reddit in expletam luxuriando gulam.  
**D**eliciae, Venus, & cum mollibus otia plumis,  
Virtutem in mundo uix superesse sinunt.  
**Q**uam ratione potes inopi succurrere, pauper,  
Qui nos Altitono conciliabit, erit.  
**S**i tua fors curta est, nec rerum suppetat usus,  
Debita nec uitae sunt alimenta tuae.  
**P**ectore ne subito spes abijce, sed bene constans,  
Assiduis precibus sollicitato Deum.  
**O**tia ceu pestem fugias, fidoque labore  
Corporis exerce sedula membra tui.  
**V**tere sed modico uino, nam parcus haustum,  
Plus tibi, quod tribuat commoditatis habet.  
**Q**uae tenet incerti spatiosus temporis orbis,  
Ne turbent sensus, inficiantue tuos.  
**L**inguam, oculos, auresq; regas, quia saepe per illa  
Nos feriunt uariis illita tela malis.  
**S**cire loqui laus est, laus est quoque scire tacere;  
Et pretium uirtus utraque semper habet.  
**R**ideto parce, nimis praecordia risus  
Eneruat, mollemq; efficit esse uirum.  
**F**orma decet tacito pueros inclusa pudore,  
Sed uultus constans cum grauitate senes.  
**C**um tibi blanditur luxu inuidiosa uoluptas,  
Sis memor utatam iam properare tuam.

Dum



**D**um male speramus fluida longissima uita  
Tempora, dum fatum fallere posse putas,  
**I**rruit obscura properata potentia mortis,  
Cunctisq; occultas inicit illa manus  
**D**elibera, si quid fueris cepturus, & ante  
Quam tentes, penitus prospice quicquid agis.  
**S**ic impendentis stimulante timore periculi,  
Semper prudenti pectore tutus eris,  
**A**bnipis es facilis qui te uenientia fata  
Humanis speras fallere posse dolis.  
**I**mpia fortassis celabit crimina mundus:  
Tutus & ad tempus turpis adulter erit.  
**S**ed fructum inuenient mox lamentabilis aui,  
Protinus & culpam suppliciumq; luenti.  
**H**as iam praesagit scelerum mens conscia poenas,  
Sentiscunt tantum praescia corda malum.

#### ELEGIA V.

**D**um tua tractari, dum flecti moribus aetas,  
Inq; nouas formas motus ire potest:  
**I**am tenerum ingenium puer instrue musis.  
Nulla potest dolens reddere cura senes.  
**C**um subit impetis animum, uel subdita uersat  
Pectora sollicitis noxia cura modis.

B y

Obferua



**O**bserua insidias Sathanae fraudemque dolumq;  
 Carnis & illecebris ne capiare. caue.  
**L**asciuos artus sancto compeſce labore,  
 Sed medica cura languida membra ſoue.  
**V**iuere quotidie tempus te crede ſupremum,  
 Quae non ſperata eſt, gratior hora uenit.  
**S**ordidulus animo curas depone, futurae  
 Ipſe iubet uitae nos meminiffe Deus.  
**T**empora ſi ſpectes, Virtus obliterat aurum,  
 Pura fides fraudem proterit atq; dolum.  
**I**mpia ne peccatus tibi turbet opinio plebis,  
 Mobile nec quaeris quid male uulgus amet.  
**Q**uem prior eſt exoſa, ſequens uenerabitur aetas,  
 Cenſuram meriti ſata diesq; ſerunt.  
**V**iuere pie, ac merito quemuis ueneratus honore,  
 Te prono ſolis peccatore inſerge bonis.  
**R**ectius ut nocuas poſſis reſcindere curas,  
 Quem uerſes tota concipe mente Deum.  
**S**uſpice conuexi pulcherrima ſydera caeli,  
 Veraq; oblectes cor ratione pium.  
**N**e ſeriem aeternae latitantia nunina: mentis,  
 Nec ſenſu quaeris abdita ſata tuo.  
**Q**uicquid agis, ſuperos animo uotoq; precare, &  
 Implora uerum ſupplice mente Deum.  
**C**orporis ut uires unum confortat & auget,  
 Sic animis addit robora Sermo Dei.

Abdita

**A**bdita nil uirtus, nil charum proderit aurum,  
 Suffoſa ocluſum quod male celat humus.  
**C**rebrus interſis ſtudio rebusq; piorum,  
 Conſilio ut ſolido teq; tuosq; regas.  
**P**roſce continuo, paruis ita parua frequenter,  
 Adijciens, magnus accumulabis opes.  
**S**cilicet egregio uiuax ſudore paratur  
 Virtus, uirtutem laus preciumq; ſouet.

ELEGIA VI.

**H**is tua praecipis iuuenilia pectora mundi,  
 Et capiti imponent ſerta decora tuo.  
**S**i uera adfectas caeleſtis gaudia uitae,  
 Deſpicias quicquid lubricus orbis habet.  
**V**ltima nunc adſunt, duro peiora metallo  
 Secula, iam mandus nil niſi crimen alit.  
**N**ostraq; non caelum, ſed lucrū tempora quaerunt,  
 Ab lucrum, & quicquid uenter auarus amat.  
**T**u tamen eſto bonus, nec rebus deſice duris:  
 Vera per anguſtum gloria pergit iter.  
**V**t te cumq; Deus firmo ſeruis uerſat acerbis,  
 Quicquid agis, ſeruo peccatore latus age,  
**S**emper & humanis animum praepoſito rebus,  
 Virtutis conſtans ut tibi curſus eat.

B 3 Ab



**A**b pereat, precio cæli qui uendit honores,  
 Pròque fauore Dei turpia lucra capit.  
**C**um premat interitus mundum circumspice totum,  
 Vitam animæ æternam nescia mortis habet.  
**N**os ergo, illecebris mundi uanisque caducisq;  
 Hanc hominis partem præposuisse decet.  
**N**itere delictam Christi am morte piatum,  
 Placatisq; iræ effugisse Dei.  
**Q**uere Deum, fatique memor, uitæque futuræ,  
 Iudicij extremum præmediare diem,  
**N**e magnos terræ dominos, auræque potentes,  
 Suspice, nec uano si quis honore tumet.  
**N**am Iouis ex æquo cum stabimus ante tribunal,  
 Iudicis austeri uoce sonante tremet.  
**P**roferet extremum lætæntia crimina factum  
 Ergo age tu puro pectore uiue piè.  
**V**t primum exurges discusso mane sopore,  
 Commenda summo teque tuosque Deo.  
**V**tq; tuæ adspirent cælestia numina uitæ,  
 Assiduus toto pectore funde preces.  
**F**ortiter adsuesce, ad duros pectora casus,  
 Lætæ sit in lucro quæ datur hora tibi.  
**O**neris impositi quoties sub pondere nutus,  
 AÆrumna uires exuperante tuus.  
**F**unde preces, superosque uoca, gratusq; memento,  
 Quæ fuerit uoti causa scopusque tui.

Acrid

**A**crius impellunt dubij pia pectora casus,  
 Deuota mihi nuauna mente colunt.

ELEGIA VII.

**C**um fortuna tonat, luctusque minatur acerbos,  
 Nec licet inuentis effugisse modis.  
**D**esperant alij, sua uel uenerantur idola,  
 Obrutas humana plurimus arte perit.  
**N**os decet ex sacris solacia poscere scriptis,  
 Infraçtoque crucem corde subire grauem.  
**A**udendum est, quoties reum te inuitat honestus,  
 Audendum est, fortes forsque deus que iuuat.  
**N**on semper duris testantur casibus iram  
 Numina, Crux uersat sepe probatque fidem.  
**S**æpe etiam stupidum grandes acuire labores,  
 Sæpe dolor uires ingeniumque iuuat.  
**E**rgo age perdura, fontesque inquire salutis,  
 Haud ne tet longus fors odiosa moras.  
**P**ostquam creuerunt adstricta uulnera mentis,  
 Iuppiter occultè iam tibi præbet opem:  
**E**t sensim tristi depellet nubila mente,  
 Teq; saluiferis tollet ad alta modis.  
**T**u modo diuinis animam submitte regendum  
 legibus, arbitrio nec male uinc tibi.

Pectore



**P**ectore sis insons, & puro corpore castus,  
Hec nos efficiunt templa sacrantque Deo.  
**M**ores quemq; probant, fructu cognoscitur arbor;  
Res solet aut horem quæq; referre suum.  
**S**is bonus atque humilis, sic te uirtusque Deusque  
Tollet in excelsum, constituetque locum.  
**A**mplius cernis opes, uires, & gaudia mundi,  
Hæc bene despicias si peritura scies.  
**V**ive deo, ualeat mundus, mundique uoluptas,  
Illecebris ualeat terra superba suis.  
**C**autior ut degas, strictum iam dæmonis ense  
Respice, lethiferis spicula iuncta dolis.  
**C**um sanctis tracta cœlestia, moribus autem  
Adsuescas, sanctum qui decuere uirum.  
**Q**uæ pia sunt semper studeas audire, loqui que,  
Res animum in Zelum pertrahet illa tuum.  
**N**e male traducas ignaua per ocia uitam,  
Serior est fallax, & sine fruge labor.  
**N**oxia uirtuti est, uariorum que esca malorum  
Pigricies, luxu desidio sua suo.  
**C**um bene cepisti, maturis uiribus insta,  
Ut summam ualeas imposuisse manu:  
**N**e si forte tuos turbet fortuna labores,  
In medio linquis optima cepta gradu,  
**V**t uictor palmæ sanctos merearis honores,  
Continua cursus absque quiete tuos.

**Nec**

**N**ec te poeniteat duros tolerare labores,  
Ut refræis operis commoda certa pijs.  
**V**irtutis proprium est tantisper currere, donec  
Præscriptum uitæ conficiatur iter.

ELEGIA VIII.

**M**ox ubi sentiscis tristem: tua uulnera: plagam,  
Admonitu debes iam uigil esse Dei.  
**N**ec mala quæ toleras, ueram tua crimina desle,  
Et poenam culpa te meruisse dole.  
**S**ume crucem, & perfer, uirtutes illa ministrat,  
Spina uelut niueas gignit alitq; rosus.  
**F**oemineos gemitus deponere, flagrantior æquo  
Non debet magni pectoris esse dolor.  
**H**aud fera tempestas omnes grauat in horu,  
Et manet ex multis una serena dies.  
**C**um tua fors flenda est, aliorum respice casus,  
Sic mala fortuna mitius ipse feres.  
**E**xemplis æscas patienter damna subire,  
Impete ne subito pectora fracta labent.  
**E**lige quæ pia sunt, fortunam uincede ferendo,  
Ut bene coepisti, sic bene semper eas.  
**N**ec Sabana, nec cede malis, Virtutibus insta,  
Duret in æternis impetus ille morus.

**C** Infelix



**I**n felix magnis si uir uirtutibus obstat,  
 Inuidiam Virtus imperiosa premit.  
**S**i tibi deficiunt ad creditam munia uires,  
 Nec molem offitij sustinuisse potes.  
**P**rocinus ardentis cælestia numina uoto,  
 Auxiliumq; Dei supplice corde pete.  
**Q**uemlibet omnipotens certo facit ordine sortem,  
 Impositamq; sibi sustinuisse crucem.  
**I**lle tuos animos pariterq; & pondus acerbum  
 Cernit, & auxilium quod frat. unus habet.  
**N**on quen. quã. quã ferre potest, magis aggrauat, illis  
 Ponderibus uires efficit esse pares.  
**P**raua pium studium si consuetudo moratur,  
 Senjim est opposito dissoluenda modo.  
**T**ransfer in aethere us sedes tua lumina, fumus  
 Qui uenit è terris turbida corda ciet.  
**D**ilige sed purũ puro quoque pectore Christum,  
 idq; salutiferum, quod iubet ille, puia.  
**C**hristicola quoties peragunt sacra publica, cœtus  
 Tu quoque pars huius quantulacumq; fies.  
**Q**uare Deum uere si uis te iungere sanctis,  
 Crebrius & sacro participato cibo.  
**C**ælo postonas peritura gaudia uitæ,  
 Et totus mundus qua bona cunq; tenet.  
**G**loria qua iustis animi uirtute paratur,  
 Durat, & in nullos est peritura dies.

Ellos

ELEGIA. IX.

**D**ulcius haud quicquã est uero nec maius amore,  
 Si tamen et pure suspicit ille Deum.  
**Q**uipe deum contra debes adplaudere nulli,  
 Turpe est mortales antetulisse Deo.  
**D**efendit quicumq; malos, hos in seclur urget,  
 Et se participem criminis esse facit.  
**O**bssequium si quis peccanti prestat amico,  
 Alacrius noxæ se facit esse ream,  
**I**nstrue sed uicis casurumq; erige fratrem,  
 Quotidie uariè labitur omnis homo.  
**T**urpe est infones mordaci rodere lingua,  
 Letiferaq; pijs necere fraude dolos.  
**I**n te conficti fueris si criminis insons,  
 Opprobrium fumos esse putato leues.  
**I**nuidie morsus patiens ser. noxaq; retro  
 Obtreccatoris per caput omne ruet,  
**A**rte sua impiet. us ipsam se sepe percutit,  
 Et mala mens proprijs est patefacta dolis.  
**T**u pius et lenis errantem corrige amicum,  
 Præbebitq; aures cærens ille seruis:  
**I**nque uiam ductus diuini lumine uerbi,  
 Incipiet puro corde uidere diem.  
**N**il melius iungit, iunctos aut seruat amores,  
 Morigeræ mutuis quã pietatis honor,

C 3

Fortunatus



**F**ortunam mundi conferto umbraeque rotaeque.  
Semper enim lubrico fluctuat illa pede.  
**S**i cupis à flagro proprios arcere penates,  
Conforti nunquam noxius esto uiro.  
**Q**uipe qui utriusque sua dulces ab imagine notas  
Indidit, ad poenas damna dolosque rapit,  
**D**ente Bionæo iustos proscindere, fontem  
Te male confecti criminis esse facit.  
**D**urus in alterius mores inquirere noli,  
Si tu delictis altior esse cupis.  
**N**am tua si penitus scrutaris pectora, cernes  
Quam multum multis turpior ipse fies.  
**V**æ tibi, cui tumidos distendit opinio sensus,  
Solaque, quæ tantum quæ facis ipse probas,  
**C**um medicam ægroto curam promittis opemque,  
Vlceribus plenus tu miser ipse scates.  
**C**um uariè incebis alios, errataque multis  
Obiectas, uicio pessimus ipse mades.  
**A**ut medeare tibi, corpusque, animumque repurga,  
Aut nulli medicus porrigere stulte manus.  
**P**raefractè nullum obiurges, ne uindice Christo  
Instatus statu deijciare tuo.  
**F**elices, quorum placidas innoxia mentes  
Pax alit, et sanctæ simplicitatis amor.  
**C**rede mihi implexos sapientia uera relinquit,  
Subdola nec sacrum pectora flammam agit.

Elegia

ELEGIA X.

**I**n stabilem mundi fortunam ludere cernis,  
In fraudes ne te turbet agatque, caue.  
**C**um sis mortalis uitæ breuis atque caduca,  
Consilia ex animo pelle superba tuo.  
**N**e male te oblectet quorum mox præterit usus,  
Neue hamos, esca pelliciente, uores.  
**E**neruat luxu multos obscæna libido,  
Blandidulisque dolis insidiosa necat.  
**S**ed tu perge, pijs sudoribus itur ad astra,  
Perge, nec à cæpta dimouere uia.  
**D**ulcis imago Dei est uirtus, hæc sola perenne  
Nomen, inexpletæ nescia mortis, habet.  
**N**e tamen ipse tuis te laudibus euehe, testem  
Ipsum te uitæ sit satis esse tuæ.  
**C**onscia sint recti tibi pectora, cælitus ille  
Mercedem certam qui bene uiuit, habet.  
**C**um stas ante Deum cristas depone superbas,  
Et nihil hoc coram corde tumente geras.  
**I**am prope finis adest, flagrumque paratur morti,  
Mundabitque habitis mæstibus ignis agrum.  
**Q**uare age, qui uariè necis fraudemque dolumque,  
Teque oculos hominum fallere posse putas.  
**A**ngelicos domini saltim uereare ministros,  
Quorum magna tibi copia semper adest.

E 3

Iudicib



Iudicis æquatam timidus perpende bilancem,  
Et cuncti ex animo turpia pelle iuo,  
Ne mollem ducis ignaua per oia uitam,  
Oia ceu pestem, desidiã que fuge.  
Reddenda est domino manũ tibi pensa tuarum,  
Atque quibus fuerit uita peracta modis.  
Sic ergo degas, ut coram iudice Christo  
Intrepidam causam uictor habere queas.  
Non simul extincto moritur cum corpore uirtus,  
Sed meriti precium uiuida semper habet  
Toga Dei est uirtus, hanc pius tectis, cuiusque  
Moribus ornator cæli potentis eris.  
Omnia cum nobis studio sudoreque constant,  
Felix, quem cæli curæ laborque foues.  
O uita facies, ô gaudia summa futura,  
O bona per nullos meritorum dies.  
Num quisquam æternæ fando magnalia uitæ  
Promere, uel linguis explicuisse potest?  
Quicquid alii tellus, quicquid natura creauit,  
Omnia uix bullæ, fumus, et umbra sumus.  
Omnia consumenda rapit fortuna, diesque,  
Sanctorum firmum stat sine fine decus.

ELEGIA XI.

Fortuna insidias fugito, sed tempore duro,  
Virtutum imperio subdita fata rege.  
Nec tua casus uenientes mole fatigent,  
Instrue consilijs iam tua corda pijs.  
Maxima mortali generi est possessio, uincit  
Omnia quæ donis, Philisophia, suis.  
Ast animos hominum puros subit illa, grauesque  
Telluris curas uel magis angue fugit.  
Oia quid sequeris? aderit cum serior ætas  
Mærebis iuuenes sic perisse dies.  
Oia multorum causa est, et origo malorum,  
Ergo age continuus sit tua uita labor.  
Sperne uoluptates, et turpia gaudia carnis,  
Nam multos uarijs implicuere malis.  
Si quis ad obscenas propenso pectore fertur  
Illecebris, usum coguet esse breuem.  
Culpa sed è contra non tempore tollitur ullo,  
Pœnaque perpetuo supplij tumque manet.  
Si tibi diuitia, si blanda pecunia crescit,  
Et præbet largis iam tibi mîsa dapes.  
Pauperie presumne durus disspice, summus  
Deficiat pariter ne tua uota Deus.  
Tempore quæ perierunt, cælum cumulemus in altum,  
Quo nulli fures perpenetrare queunt.



Cætera fortuna bona mors rapit omnia, solæ  
Quas inopi dedimus, nos comitantur opes.  
Congeris in cælum, quicquid largiris egeno,  
Liberius Christus, qui bona reddet, erit.  
Contentus modico luxum fuge, ne mala finem  
Imponat uitæ pœna dolorque tuæ.  
Parcus semper eget, semperque adspirat auarus  
Ad plura, immensasque est miser inter opes.  
Quid male diuitiis tibi, periturus in illis?  
Iratos superos semper auarus habet.  
Ne te per uictas spera ditescere fraudes,  
Diuina stabiles arte parantur opes.  
In nos occulti uigilat sapientia fati,  
Euertit præceps impia lucra Deus.  
Quid miser alterius proprium sudore saginas  
Corpus? in expletoque omnia uentre uoris?  
Quid carnem exhausti miserandaque uiscera fratris  
Esuris? è que inopi sanguine lucra petis?  
Impia pinguescunt alieno membra labore,  
Et fouet iniustus corpora foeda cibus.  
Donce terribili properata potentia mortis  
Pinguia per stygijs funera mergat aquas.

Elegia

ELEGIA XII.

Ne tua sit cuiquam uirtus damnoue doloue,  
Nam meriti precium qui beneficit habet.  
Nulla sodalitijs iungas male fœdera contra  
Christum, sed summa dilige mente deum.  
Ne quando illius conuictus uoce labascas,  
Obruat atque humeros pœna inopina tuos.  
Materias toto tractabis pectore honestas,  
Id studium est uitæ lina prima piæ.  
Infra despicias si gaudia quaris olympi,  
Nam nil diuini fœtida terra sapit.  
Et nunquam superam tangit domicilia, quisquis  
Turpia mundanae crimina carnis amat.  
Vulgus amat uentrem, famæ nec nomina curat,  
Verus in excelso pectore uiuit bonos.  
Dulcis amor famæ est, recti cælique cupido  
Regnat in innocuis imperiosa uiris.  
Vive Deo sanctè, Virtutibus astra petuntur,  
Contentus paucis uiuito: diues eris.  
Sed tu qui totus scelerato uenditus auro,  
Maiores captus semper auarus opes.  
Quid tua sollicitis adstis gis pectora curis?  
Tristitiaque animum conficis usque tuum?  
Quid facis? in omnes cur tot traducere noctes  
Non pudet? an uitam turpia lucra fouent?

D

Dum



**D**um malè diuitijs in bias rebus que parandis,  
 Immensusque auido pectore quaris opes,  
**E**cce uenit tristis tacito iam proxima gressu  
 Mors, ex insidijs te que tuosque petens.  
**Q**uid tandè facies cum te Deus ipse uocabit?  
 Cum cernes oculis horrida fata tui?  
**Q**uid tibi tunc curæ, quid charam proderit aurum?  
 Et quæ iam tumido corde superbit honos?  
**Q**uis male per fraudes, per nulle pericula quaris,  
 Eripenti subitò tempus & horror opes.  
**O**mnia linquætur, nudus transibis ad orcum,  
 Et fiet corpus uermibus esca tuum.  
**E**rgo age pone malâ, quæ te male distrabit, artem,  
 Pone graues curas, pectore pone dolos,  
**C**rede mihi quanquam longos sibi sudat in usus,  
 Coniuit et technas impius usque suas.  
**S**olus habet certè uitamque Deumque fidelis,  
 Solus et immotus corda quæta gerit.  
**S**olus qui domino fidit præsentia sentit  
 Numina, et auxilium semper adesse Dei.  
**E**xitiam intenet et Sathan licet undique, Christus  
 Victor pro populis stat tamen ipse suis.

Elegia

ELEGIA XIII.

**H**eu malè uirtutes præsentia secula tractant,  
 Heu malè nunc artes tempora nostra ferunt.  
**Q**uotus quisque hominū est, qui uiuit firmas et æquo  
 Pectore qui fortem rectus utranque ferat?  
**C**um fortuna fauet plures cumulantur auæci,  
 Inuenies paucos si tibi dura tonet.  
**A**c ueluti rapidis agitantur folijs uentis,  
 Sic uaria dubius forte nouetur amor.  
**S**ed pia quem solido finxit doctrina labore,  
 Semper hic immoto pectore firmus agit,  
**C**um res sunt ærepidae, cum casum fata minantur,  
 Turpe laborantem deseruisse domum.  
**T**e decet adflucto semper, dum uiuis, amico.  
 Qualibet auxilium parte iulisse tuum.  
**R**es duras patiens, & firmo pectore suffer,  
 Regia uincenti quippe corona datur.  
**A**spera dulcescunt, interrita dammodo uirtus  
 Ornet, & aduersum temperet ipsa ualium.  
**V**era solet multos pietas tolerare labores,  
 Sed certò sarcu singula damna Deus.  
**S**ed tu qui soli semper tibi uiuis auare,  
 Et propria spectas emolumenta rei.  
**S**iccine perpetuis peccatis cruciaberis curis?  
 Et querulus animus nocetq; pauper inuit

D 2

NON



**N**on quia pauca tibi sapiens fortuna ministrat,  
Sed quia plura cupis, pauper inopsq; manes.  
**P**lura cupis, semperq; animum testaris auarum  
Insaetiabilibus sollicitudinibus.  
**S**i te damno, et nunquam requiescere curæ,  
Contentumue tua uiuere sorte sinunt:  
**N**equicquam occulsi tibi pondera congeris auri,  
Horrea nequicquam tu tibi fruge repleas.  
**E**st opibus finis, est et pia forma parandis,  
Diuitijs certum distat uere modum.  
**P**rincipio modicum semper, quantumq; necesse est,  
Vt sibus ingenio quære labore pijs.  
**Q**uod satis est, satis esse finas, nec turpiter aurum  
Corde superuacuum luxuriante petas.  
**D**einde tuum certa pectus ratione gubernas,  
Sis bonus et cuiquam uelle nocere caueas.  
**O**mnibus, ut fortuna finit, prodesse memento,  
Acternoq; pijs uiue studeq; Deo.  
**P**ræterea innoceas sors tibi cunque labores  
Verteret, hanc animo tu tibi lætas habeas.  
**P**ulchra est pauperies, dicitq; meretur honesta,  
Quæ facilis nobis et bene culta uenit.  
**Q**ui neq; pauper is est, qui sortem lætas ad omnem,  
Quod præstare est, bilati pectore ferre potest.  
**N**am quem pauperies nullo grauatur onere, diues  
Permanet, et summis non caret ille bonis.

Sed

**S**ed nulli tranquilla potest contingere uita,  
Corde nouas auido qui malè quærit opes.

ELEGIA XIII.

**D**elicias, et opes, et auari gaudia uentris  
Despicies facile, si peritura scies.  
**D**editus illecebris iam nunc Epicurus, et auri  
Munere luxurians, ut rosa uerna rubet,  
**E**xiguam interpone moram, et post paulo uidebis  
Conuersam in nihilum, quæ fuit ante rosa.  
**S**iruit et uitij frater malè laxat habenas,  
Admone cum pœna iudicijq; Dei.  
**A**lterius tristem mæsto fer pectore casum,  
Ludit, et inconstans Sors uagabunda furit.  
**E**ximia est uirtus aliena sorte moueri,  
Et damno fratris condoluisse sui.  
**H**ac motus bonitate alti Rex summus olympi,  
Auxilium ætherea lapsus ab arce tulit.  
**N**e chari nimium deploras finis amici,  
Nam pariter cunctis illa terenda uia est.  
**Q**ui quo quisq; prius uita bene transigit æuum,  
Ocyus hoc alij ille beatus erit.  
**E**xpectare iubet, sed libere et absq; timore,  
Extremum uita: Philosophia: diem.

D 3

Quos



Quoslibet ex æquo mortali semine natos  
Mors sibi subiectos, & dolor omnis habet.  
Sed si quis patiente suos fert corde dolores,  
Maxima pro luctu gaudia sæpe capit.  
Ipsam te explorans, quis sis te iudice discet,  
Iratuq; tibi desinet esse Deus,  
Ne sis uindictæ cupidus, nec cede furori,  
Sed Christum iusti iudicis iustar habe.  
Poeniteat scelerum peccatumq; exue, Christus  
Et iubet & uticium ponere posse facit.  
Emergit illa fides titubantia pectora, nosque  
Efficit ut simus dulcis imago Dei.

ELEGIA XV.

Obsequiis concrevit amor, durissima sæpe  
Obsequio uerus pectora uincit amor.  
Rara fides adeo est, quæ nulla territa sorte:  
Fortunam constans inter utranque manet.  
Nil prodesse iuuat prauis, ingrata uulorum  
Immemor accepti mens solet esse boni.  
Quam etiam inuenies, qui noxia multa reponet,  
Nectet & hostiles pro pietate dolos.  
Ne captes auidè certis incerta relicta,  
Neu dubiam pretio spem male Janis emas.

Stringitur

Stringitur implicitum prædura compede membrum,  
Sed mentem uniuersam sollicitudo tenet.  
Tu tamen hanc animo studiosè submoue pestem,  
Occulis Sathanae ne capiare dolis.  
Viue deo, crisesq; piè miseratus egenos,  
Accipias animo liberiore bonos.  
Iustus is est, gelidæ qui pocula porrigit andæ?  
Quiq; inopem tenui, cum licet, arte iuuat?  
Quid si quis sanctos se totum ponat in usus  
Pauperum? hac maius quid queat esse fidei?  
Ne male ditescas inopum commotus amore,  
Quippe deo iusti manera sola placent.  
Pauperibus laturus opem, tua propria sparge,  
Zizaniæ coram sunt aliena Deo.  
Ut si forte aliquis alienum stercoret agrum,  
Et sua in alterius semina condat humo.  
Sic male qui rapto diuinum numen honorat  
Munere, nequicquam fata Deumq; colit.  
Semina ne scelerum spargas, nam tempora mensis  
Adsunt, agricola qui probet, ignis erit.  
Ex nostris uisus Stigij dominator auerni  
Nos contra causam materiamq; rapit:  
Hiq; armis solito de more potenter abusus,  
Excitat inuisa bella cruenta manu.  
Frangere qui iures tanti desiderat hostis,  
Proximus abyciat quodnam è crimen habet.

N. An.



Nam sic exutus Satban pernicibus albi,  
Passer ut implumis nil nisi risus erit.

ELEGIA XVI.

Væ tibi, qui duro pietatem è corde recludis,  
Nec superos ulla religione colis,  
Cum Phæbus totum radios illuxerit orbem,  
Impius in tenebris lumina cæca geres.  
Væ blaspheme tibi, nam iudicis ante tribunal,  
Quo defendaris nil male sanus babes.  
Væ scelerate tibi, Christus quo tu malè tendis,  
Iustus in æthere legifer arce sedet.  
Væ lucri cupido, quia post tua tristia fata,  
Æterni absument impia membra faces.  
Væ qui desidia uitam profundis inertis,  
Olim morere bis sic perisse dies.  
Væ tibi qui tumido gestus abdomine uentrem,  
Mox pænâ luxus ingluuicique dabis.  
Esuriens nigrum stomacho transibis ad orcum,  
Obrutus æterna te cruciatæ fame.  
Væ qui corde tumes, mox fœda sepulchra subibis,  
Et nimium serò, qui sis, Funde, scies.  
Væ scortatori, stolam dum crimine fœdat,  
Pellitur è sancto deijciaturq; thoro.

Væ

Væ famulis è Bache tuis, en potula linquent,  
Moxq; sitim tecum suppliciumq; ferent.  
Væ tibi, qui fratrem dictis proscindis amaris  
Tu quoq; mox pænâ tanquã homi ida lues.  
Impius in fonti fraudes dum nectit at hostis,  
Se sæpe inuento conficit ipse dolo.  
Væ tibi, quem turpi delectat crapula luxu,  
Mox feriet iugulum mors inopina tuum.  
Dum uentri incumbis, tacito consumeris aëo,  
Ut que dies celeres sic tua uita perit.  
Væ hypocrita tibi, nam cum sua pabula pastor  
Subtrahet, ostēdet pellis ouina lupum.  
O uerè felix, ô terq; quater que beatus,  
Angustum inno cūo qui pede carpit iter.  
Namque coronatus uita uirtutibus actæ,  
Suprema è terris arduus astra petet.  
Felix, qui potuit contentus uiuere paruo,  
Nec se sollicitis conficit usque malis.  
Felix, cui satis est humiliter requiescere lecto,  
Et placidè tuto ponere membra thoro.  
Felix, delictus mundi qui calcat opimas,  
Contra hostem statuet sancta trophæa suum.  
O bene felicem, uigili qui pectore fundit  
Pro rebus sacris nocte dieq; preces,  
Totus et incumbit sancto uirtutis amori,  
Non unquam in mortem concidet ille malam.

Epi





EPIGRAMMA  
TA EIVSDEM.

NE PÆDAGOGI PLAGOSÈ  
trahent pueros.

Qui tenerum imposta puerum moderaris habena,  
Non ira celeri, sed ratione rege.  
Imbue sed sensim placidis iuuenilia Musis  
Pectora, successu sic bene crescet opus.  
Vt si quis certos animantia format in usus,  
Parere astuta mitior arte facit,  
Dulcibus hortatur uerbis monituque magister,  
Atque rudem leni uerberare fragit equum.  
Sic tu, dum tenera puer est cruce, benignè  
Mollia præceptis instrue corda bonis.  
Blandidulis hortare modis, nec protinus ira  
Seuiat, & ferula uindice tractet opus.  
Mollia perpetuis durescunt corpora plagis, |  
Assuetus stragro, nil nisi casus aget.

IN DOCTOREM QVENDAM  
Italum, superbè ambitiosum.

Cur tanto frustra conamine nitris altos  
Nunc capiti titulos imposuisse tuos?

Cur

Cur miserè liuens uirit tibi gloria pectus?  
Ventosaq; animos ambitione foues?  
Fallitur humanis quicumque uenatur honores  
Viribus, aut fidi fraudibus atque dolis.  
Nemo potest quicumque proprio sibi sumere marte,  
Munifico uiuax à Ioue uenit honos.  
Qui deus æthereis de sedibus omnia cernit,  
Ac fouet arbitrio cuncta creat a suo.  
Ille uocat quemcunq; lubet, certa q; seorsim  
Sorte creaturas nominibusq; regit.  
Nunc bene fortunans miseros extollit in altum,  
Tradit & exulibus regia sceptrâ uiris.  
Nunc alios contra titulis auroq; tumentes,  
Deijcit, & dotes reppetit ipse suos.  
Non multo omnipotens patitur regnare supbos,  
Tempore, per præceps protinus alta trahit.  
Donec in exemplum reliquis submissa gerebat  
Pectora, rex Saulus nobile nomen habet.  
Laudibus euehitur donec nulla ardua tentat,  
Osseruatque sui uerba sacrata Dei.  
Viribus at postquã proprijs ac nomine fretus  
Imperat, & temerè quod lubet, audet opus:  
Postquam expressa Dei uiolauit iussa supbus,  
Et sibi clam uenit, ac accumulauit opes.  
Offendit dominum, moxq; omni exutus honore  
Corruit, ac titulis excidit ipse suis.

B 2

Ergo



Ergo age, si superis optas bene uiuere gratas,  
Fortunaq; cupis prosperiore frui,  
Cælius expecta titulos, & cuncta salutis  
Dona stude soli contribuisse Deo.  
Qui sua per ueritas exaltat nomina fraudes,  
Per præceptis pprio corrui ille dolo.

### IN HYPOCRITAM.

Siccine ad immensos tumide spirabis honores?  
Siccine per fraudes nomina summa petes?  
Sic tuis ridere nouis, atque omnia falsò  
Fingere, quo tandem quod cupis esse queas,  
Ore aliud profers, aliud sub corde uoluntas,  
Ut tibi dum profis, quemlibet inficias,  
Si quis te fortassis adit, scis reddere uoces  
Mellifluas, dulcis prodit ab ore sonus.  
Nil nisi frater habes, frater tibi semper in ore,  
Omnia sunt uerbis semper amica tuis.  
Sed mihi si paruū detur contingere rimam,  
Atque animos penitus cernere posse tuos.  
Ab quantæ recubant falso sub pectore fraudes?  
Quanta doli moles, insidia que latent?  
Impie num speras te fâta latere? tuosq;  
Non unquam in lucem posse uenire dolo.

Falleris

Falleris, est stabili qui digerit omnia nutra,  
Omnia qui firmis tractat agitq; modis.  
Immensum rapido qui cælum flamine uersat,  
Et cogit leges sidera summa pati.  
Ille tuq; sceleri fixit (certo ordine) metas,  
Et quam dissimilis sis tibi, testis adest.  
Tolle tuos oculos, & mentis lumina, sumum  
En tibi fulminibus cernis adesse Deum?  
Conscia nonne tibi toties iam pectora mouit?  
Pectora te contra quæ furiosa sonant,  
Sed nequit in cæco uitres medicamen habere,  
Nec redit herbarum mortuus ullus ope.  
Sic tu non ulla pergis medicabilis arte,  
Semper in exitium subdole perge tuum.

### RATIO VITÆ AC TEM- poris habenda.

Præteriti penitus reputo cum temporis æuum,  
Cum subit ab quo sit uita peracta modo.  
Et quoties sanctos, te te pater optime, uultus  
Offendi studijs criminibusque meis.  
Non secus obstupeo, quàm qui submersus in undis,  
Viuat, & est uitæ nescius ipse suæ.  
Aut qui pro scelere admissio crudelia fâta  
Cernit, et ad pœnas iam moriturus abit.

E 3

Sic



Sic miser horribili præsentis imagine mortis  
Exanimor, sensu deficiente meo.  
Sæpe mihi subeunt ingratae tedia uitæ,  
Et uoto pœnam fataque tarda uoco.  
Sed frustra hæc agito: frustra præcordia curæ  
Anxia: iam misero nil ualitura tenet.  
Nemo potest ullam transacti temporis horam,  
Aut senel elapsam restituisse diem.  
Transit et est ætas nulla reparabilis arte:  
Continuè cursu tempus ut unda fluit.  
Ne tamè et posthac moeror quoque crescat acerbus,  
Et mihi perpetuè poena luenda fiet.  
Dum licet aditar quæ restant tempora uitæ,  
Rectius & mores instituisse meos.  
Tu pater omnipotens adspira, ut pectora sanctus  
Spiritus ætherea missus ab arce iuuet.  
Vos moneo pueri donec Virtutibus ætas,  
Et Musis uita est comoda uestra sacris,  
Custodite animas & nullam turpiter horam,  
Nullum desidia perditæ queso dicam.  
Nullus iactura rei preciosior unquam,  
Quam malè præteriti temporis esse potest.


MAGNIFICVS D. STEPHANVS  
MAYLAD, Comes Transyluanix, perfide  
sub induciarum pactioibus captus à  
duobus V Vayudis, altero Molda  
uiæ, altero Bulgariae, Et à  
Turcis in perpetuam cap  
tuitatem abductus.  
Anno M. D. XLI.

Bisthonijs quondam qui formidabile nomen  
Gentibus, & patriæ gloria spesq; fui.  
Nunc ego sœdis frago nimium malè credulus hosti,  
Incurri Geticas præda petita manus.  
Quiq; armis potui decus immortale mereri,  
Perfidia captus uincula dura gero.  
Exemplo monitus fuge Turcica fœdera, nescit  
BARBARA Gens regnũ præposuisse fidem.

IMPRESSVM IN  
INCLYTA TRANSYLVANIÆ  
CORONA.

ANNO M. D. XLIIII.





# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Sic miser horribili praesentis imagine mortis  
 Exanimor, sensu deficiente meo.  
 Saepe mihi subeunt ingratae tedia uitae,  
 Et uoto poenam fataque tarda uoco.  
 Sed frustra haec agito: frustra praecordia cura  
 Anxia: iam misero nil ualitura: tenet.  
 Nemo potest ullam transacti temporis horam,  
 Aut semel elapsam restituisse diem.  
 Transit et est aetas nulla reparabilis arte:  
 Continuo cursu tempus ut unda fluit.  
 Ne tamē et posthac moeror quoque crescat acerbis,  
 Et mihi perpetuo poena luenda fiet.  
 Dum licet adnitar quae restant tempora uitae,  
 Rectius & mores instituisse meos.  
 Tu pater omnipotens adspira, ut pectora sanctus  
 Spiritus aetherea misus ab arce iuuet.  
 Vos monco pueri donec Virtutibus aetas,  
 Et Musis uita est commoda uestra sacris,  
 Custodite animas & nullam turpiter horam,  
 Nullum desidia perditae queso diem.  
 Nullus iam aetura rei preciosior unquam,  
 Quam male praeteriti temporis esse potest.

MAGNIFICVS D. STEPHANVS  
 MAYLAD, Comes Transylvaniae, perfide  
 sub induciarum pactio nibus captus a  
 duobus Vayuodis, altero Molda  
 uix, altero Bulgariae, Et a  
 Turcis in perpetuam cap  
 tiuitatem abductus.  
 Anno M. D. XLI.

Bisthonijs quondam qui formidabile nomen  
 Gentibus, & patriae gloria spesq; sui.  
 Nunc ego saedisrago nimium male credulus hosti,  
 Incurri Gethicas praeda petita manus.  
 Quiq; armis potui decus immortalale mereri,  
 Perfidia captus uincula dura gero.  
 Exemplo monitus fuge Turcica foedera, nescit  
 BARBARA Gens regnis praeposuisse fidem.

IMPRESSVM IN  
 INCLYTA TRANSYLVANIAE  
 CORONA.

ANNO M. D. XLIIII.



*[Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading.]*



*[Faint handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or date, partially obscured by the stamp.]*

*[The right page of the book is mostly blank, with very faint, illegible markings and bleed-through from the reverse side.]*







